

//////////

## **CONSTITUTIONES CAPITULA ET STATUTA ECCLESIE MAIORIS ALEXANDRIE**

Tratto da

**RIVISTA DI STORIA ARTE ARCHEOLOGIA  
PER  
LE PROVINCE DI ALESSANDRIA E ASTI**

ALESSANDRIA  
SOCIETA' DI STORIA ARTE E ARCHEOLOGIA  
ACADEMIA DEGLI IMMOBILI

(anno 1899 – fascicolo 3 – pp. 9/18)

**« Constitutiones Capitula et Statuta ecclesie Maioris Alexandrie.**

» — In Nomine Domini Amen. Ad memoriam futurorum et certitudinem  
 » presentium infrascribuntur statuta et ordinationes facta et edita per ve-  
 » nerabile Capitulum maioris Ecclesie Ciuitatis Alexandrie capitariter  
 » sono campanili ut moris est congregatum habito simul multiplicatis  
 » vicibus maturo et sano consilio cum Auctoritate et consensu venerabilis  
 » viri Domini galioti sach canonici Alexandrie vicarii in spiritualibus gene-  
 » ralis Reu.di in Xristo patris et Domini Domini Marci De marinonibus  
 » Dei et Apostolice sedis gratia Episcopi Alexandrini et comittis. Que  
 » quidem statuta, et ordinationes ad honorem omnipotentis dei, et gloriose  
 » Virginis Marie, ac beatissimi petri apostolorum principis sub cuius vo-  
 » cabulo dicta Ecclesia est fundata necnon pro reformatione statuque  
 » [pacif]ico et tranquillo ipsius Ecclesie, et personarum in Ea degentium  
 » ac diuini cultus augmento per Canonicos et Capitulum dicte Ecclesie  
 » inuiolabiliter obseruatura, et in posterum auctore deo perpetuo valitura  
 » duxerunt facienda, et ordinanda ac statuenda proprioque eorum iura-  
 » mento affirmando que sequuntur, et sunt talia

» Imprimis siquidem statuerunt, et ordinauerunt quod de maiori Ec-  
 » clesia alexandrina in qua est tridenus canonicorum et prebendarum  
 » numerus computatis prebendis dignitatibus annexis per Cappitulum et  
 » canonicos eiusdem Ecclesie non possint aliqui ultra numerum predictum  
 » in canonicos recipi tamquam habentes vocem in capitulo nec eisdem  
 » data seu quotidiane distributiones, que inter predictos tredecim cano-  
 » nicos tantum distribui et diuidi communiter debent, quocumque quesito  
 » seu simulato colore concedi uel assignari et si in eadem ecclesia essent  
 » motu proprio Cappituli seu apostolica uel quavis alia auctoritate sub  
 » expectatione prebendarum recepti fructus qui reciperentur insisterent, et  
 » nisi prius essent Canonici prebendati et prebendam ex dictis tredecim  
 » Canonice et pacifice assecuti fuerint.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod Archidiaconus archipresbiter  
 » prepositus et Cantor, prefate maioris Ecclesie qui pro tempore [nomi-  
 » nantur aut de cetero quavis] auctoritate in ipsa Ecclesia instituendi seu  
 » eligendi esse debeant aut tales, qui se facere possint ad ordinem sacer-  
 » dotii infra annum a die sue promotionis computando legiptimo cessante  
 » impedimento promoueri et donec fuerint in sacerdotes promoti missamque  
 » in dicta ecclesia ad maius altare conuentualiter ac publice celebrauerint,  
 » nihil omnino de fructibus redditibus et prouentibus suarum dignitatum,  
 » et prebendarum percipient per se uel submissas personas, sed interim  
 » huiusmodi fructus redditus et prouentus in Capitulum perueniant per  
 » massarium seu sindicu dicte Ecclesie colligendi, et in utilitatem diuinis  
 » officiis tantum interessentium communiter diuidendi.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod in ipsa Ecclesia ultra pre-  
 » bendas dignitatibus annexas sint de cetero et esse debeant quatuor  
 » prebende sacerdotiales tres diaconales et due subdiaconales, et ne du-

» bitari possit que sint sacerdetales, diaconales et subdiaconales, statuerunt  
 » et ordinauerunt quod quatuor prebende quas nunc habent dominus  
 » Iohannes de Collis scriptor apostolicus, Antonius de scuarzaficis, Ar-  
 » pinus de Collis, et illa quondam domini securani de lanciauegiis, sint  
 » sacerdetales et perpetuo ordini sacerdotali annexe, et he prebende sancti  
 » Andree deinceps denominentur, et tres prebende quas nunc tenent  
 » dominus Stephanus de lanciauegiis Galiotus Sacchus predictus et Chri-  
 » stophorus schachauellus sint diaconales perpetuo ordini diaconali annexe,  
 » et he prebende sancti Stephani deinceps nominentur, et due prebende  
 » quas nunc tenent dominus Beltramus Trottus, et Bartholomeus de Calca-  
 » mugiis sint subdiaconales, et perpetuo ordini subdiaconali annexe, et  
 » he prebende sancti laurencii denominentur.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod canonici de cetero quauis  
 » auctoritate in ipsa Ecclesia instituendi in ipsis prebendis sacerdotalibus,  
 » diaconalibus, et subdiaconalibus teneantur infra annum se ad ordinem  
 » sue prebende annexum se prout sua prebenda requirit facere promo-  
 » ueri, et suo in dicto ordine in prefata Ecclesia facere septimanam,  
 » et donec in suo ordine sue prebende fuerit constitutus et in dicto  
 » ordine iuxta morem Ecclesie predicte unam septimanam fecerit nihil ex  
 » fructibus redditibus et prouentibus prebende ad quam assumptus fuerit  
 » seu de quotidiani distributionibus et alliis que per Capitulum diui-  
 » dentur, omnino percipiat per se vel submissam personam sed fructus  
 » redditus et prouentus ipsius prebende interim semper per massarium  
 » vel sindicum parte Cappituli colligant, et diuidant in utilitatem diuinis  
 » officiis interessentium.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod ex nunc in antea quinque  
 » ultimi Canonici qui deinceps in dicta maiori Ecclesia recipientur, etiam  
 » si eas prebendas sacerdetales assequi et tenere contingat, nihilominus  
 » de ipsis quinque tres primi recepti in diaconali alii vero in subdiaconali  
 » ordine seruire omnino teneantur, alias vero a quotidiani distributio-  
 » nibus sint penitus alieni. Cum hoc tamen quod predictum onus in quinque  
 » ultimo receptos Canonicos semper descendat.

» Item statuerunt et ordinauerunt, quod vacantibus de cetero pre-  
 » dictis prebendis diaconalibus et subdiaconalibus nullus possit per Cap-  
 » pitulum ad huiusmodi prebendas eligi recipi, nec institui nisi sit talis  
 » quod infra annum possit ad ordinem, quem unaqueque vacans prebenda  
 » requireret promoueri.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod archidiaconus archipresbiter  
 » prepositus et Cantor, ac canonici prenominati qui pro tempore fuerint  
 » in Ecclesia antedicta teneantur dummodo residentes fuerint apud dictam  
 » Ecclesiam suas septimanas facere, et tenere, alioquin licet aliis horis  
 » Canonicis presentes fuerint per totam hebdomadam eis conuenientem  
 » pro absentibus scribantur per scriptorem date et ab omnibus oblationibus  
 » et distributionibus chori sint per hebdomadam eis conuenientem et com-

» petituram penitus alieni hac tamen moderacione quod Canonicus vel  
 » Capellanus qui alias illa die ad celebrandum sit obligatus pro Canonicu  
 » possit deseruire.

» Item suprascripti digne attendentes, ut qui sentit de onore, et com  
 » modo, sentire debet de onere et incommodo, statuerunt et ordinauerunt  
 » quod dignitates pro tempore in dicta Ecclesia obtinentes, et qui presentes  
 » fuerint quatuor sacerdotales tres vero diaconales, et subdiaconales pre  
 » bendas obtinentes, tres missas ad minus singulis hebdomadis impedi  
 » mento legiptimo cessante, cellebrare teneantur per se uel alios, alioquin  
 » a quotidianis distributionibus illius hebdomadae in qua defecerint sint  
 » penitus alieni, et per scriptorem date diligenter notentur, et pro absen  
 » tibus scribantur.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingere aliquando do  
 » minicis, et aliis festiuis et ab Ecclesia preceptis diebus in dicta Ecclesia  
 » propter absentiam rellatorum ac Canonicorum seu Capellanorum ipsius  
 » Ecclesie esse minus quam sex misse, tunc et eo casu massarius siue  
 » sindicus dicte Ecclesie expensis illorum qui absentes sine legiptima  
 » causa fuerint alioquin expensis Cappituli aliunde sacerdotes perquirere  
 » teneantur quoisque ad dictum numerum suppleant.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod si contingere aliquando  
 » hebdomadarium taliter esse impeditum puta in Cura sua si habet aut  
 » alio beneficio suo cellebrare necessario haberet tunc et eo casu dum  
 » modo in dicta maiori Ecclesia in festiuis sex, in aliis uero diebus quinque  
 » misse ad minus sint illa que cantatur, ipse hebdomadarius pro  
 » excusato, et non periurio habeatur, alias vero non dummodo per alium  
 » missam canat.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod prima missa quod pro labo  
 » ratoribus de mane in dicta Ecclesia dici consuevit semper ad altare  
 » maius celebretur, et similiter missa magna que cantatur, saluis et re  
 » seruatis diebus festiuis altarum sitorum in ipsa Ecclesia in quibus diebus  
 » missa possit cantari super altari in quo contingere pro tempore esse  
 » festum, ac sexta feria in qua cantetur ad altare sancte †.

» Item statuerunt et ordinauerunt, quod absentes reputati si contingat  
 » aliquando sua presentia facere apud dictam Ecclesiam diuinis officiis  
 » interessendo distributiones quotidianas percipient, que solint dari inter  
 » essentibus diuinis officiis,

» Item statuerunt et ordinauerunt, quod si contingat aliquem ex archi  
 » diacono, archipresbitero, preposito, Cantore seu Canonicis dicte Ecclesie  
 » fore absentem seu corporalem residentiam in dicta Ecclesia diuinis of  
 » ficiis interessendo non facere si prelati quinque, Canonici vero quattuor  
 » modia frumenti soluant annuatim massario seu sindico Cappituli qui  
 » dicti frumenti valorem seu precium sine fraude et dolo pro missis pre  
 » dictis in Ecclesia cellebrandis per sacerdotes in ipsa Ecclesia non bene  
 » ficiatos similiter exponant vel diuidantur inter residentes.

» Item statuerunt et ordinauerunt, quod quilibet canonicus seu prebendatus, prelatus dicte Ecclesie teneat notificare Cappitulo per totum mensem augusti an velit facere residentiam in ipsa Ecclesia alioquin reputetur pro absente.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod primo anno vacationis cuiuslibet prebende dignitatis seu personatus vacantis in predicta Ecclesia medietas fructuum reddituum et prouentuum eiusdem prebende unius vel plurium ex integro in Cappitulum perueniat per massarium seu sindicu[m] ipsius Cappituli libere colligenda, et in utilitatem diuinis officiis in ipsa Ecclesia interessentium tantum diuidatur comiter et conuertendo reliqua vero medietas perueniat ad illum cui pertinebit de iure talis prebenda.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod quando contingit aliquam prebendam que non sit sedis apostolice reseruata uacare gradatim antiquiores Canonici presentes videlicet qui prius recepti fuerunt illam si velint infra tempus a iure statutum sua prebenda dimissa optare possint, et quod semper presentes absentibus, et antiquioribus preferantur.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis semel optauerit amplius optare non valeat donec, et quo usque reliqui omnes optauerint si voluerint.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod optare volentes antequam optent soluant realiter, et cum effectu massario seu sindico Capituli florenum unum auri conuertendum inter interessentes diuinis officiis alias optatio nulla sit.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod optiones fiant in pleno capitulo, alias ipso facto sunt nulle.

» Item quia accidere solet quod vacantibus in eadem Ecclesia Dignitatibus et prebendis nonnulli ad eas se intrudunt ac super ipsis littigant et contendunt ac fructus ipsarum prebendarum etiam per laycorum impresiones dilacerant et faciunt sectiones tunicam sindentes Domini propter quod Dignitates ipse et prebende suis seruitoribus sibi in diuinis famulari debentibus diuinis remanent destitute idcirco volentes huic morbo pestifero congruam adhibere medellam statuerunt et ordinauerunt quod vacantibus de cetero dignitatibus personatibus uel prebendis in Ecclesia antedicta nulli litigantium super ipsis dignitatibus personatibus uel prebendis ex fructibus redditibus ac prouentibus ipsarum dignitatum personatum uel prebendarum durante questione seu littigio super ipsis aliquid percipient aut percipere possint per se uel submissis personis donec questio per difinituam sententiam uel alio modo canonico inter littigantes super ipsis fuerit sopia atque terminata sed fructus redditus et prouentus dictarum dignitatum personatum uel prebendarum interim durante questione super ipsis instituta perueniant per massarium et sindicum capituli libere colligendi et in utilitatem diuinis officiis interessentium ut premittitur conuertendi.

» Item digne attendentes quod iuxta constitutiones canonicas non

» debent ad illorum regimen assumi qui non nouerint gubernare se ipsos  
 » statuerunt et ordinauerunt quod nullus de cetero recipi [possit] in canonico  
 » nicum et in fratrem nisi constitutus sit in estate tali quam prebenda ad  
 » quam fuerit electus requirit et ad alias vita et moribus ac scientia commen-  
 » dandus existat qui iurare teneatur predicta omnia statuta et priuilegia et  
 » laudabiles consuetudines eiusdem Ecclesie bona fide sine fraude inuiola-  
 » biliter obseruare quodque tales receptiones sub expectatione prebende  
 » permittitur per capitulum seu canonicos eiusdem ecclesie singulariter uel  
 » clandestine . . . fiant nisi capitulo et absentibus canoniciis ad hoc spe-  
 » cialiter conuocatis et citatis qui tales electiones et institutiones de iure uel  
 » consuetudine essent uocandi uel citandi et receptiones de Canonicis sub  
 » expectatione prebende aliter facte non teneant sed sint irrite ipso iure  
 » nec taliter recepti in assecutione prebendarum per capitulum pro receptis  
 » debeant computari secundum formam anotatam.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod quando de cetero contingat  
 » pro inquirentibus negotiis spiritualibus uel temporalibus eiusdem Ecclesie  
 » uel cleri pertractandis capitulum conuocari prelati et Canonici eiusdem  
 » Ecclesie ad ipsum capitulum teneantur reuerenter venire et in ipso  
 » perseverare donec omnia pertractata fuerint que ibidem erunt peragenda  
 » et qui conuocati non conuenerint uel ante exitum capituli exiuerint inte-  
 » ligantur se, a capitulo ea vice fecisse alienos et ea que ibidem per  
 » alias acta et stabilita et ordinata fuerint plenissimam obtineant roboris  
 » firmitatem. Et nihilominus ipsi canonici uel prelati uocati non conue-  
 » nientes seu ut premittitur recedentes per totam hebdomadam ab omnibus  
 » distributionibus chori et aliis que per massarios seu sindicos capituli  
 » communiter diuidentur sint penitus alieni.

**D** » Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes suburbane et prediales  
 » possessiones decime et facta dicte Ecclesie pertinentes, ac pertinentia  
 » que non sunt de prebendis canonicorum et que per canonicos singu-  
 » lariter non possidentur perpetuo sint de cetero comunes seu comunia  
 » et indiuisa quorum fructus redditus et prouentus per massarium seu  
 » sindicu[m] Capituli colligantur et inter prelatos et canonicos residentes,  
 » qui diuino officio ac Canonici horis in cotta vel cappa interfuerint  
 » taliter diuidendi, ac cuilibet canonico assignandi videlicet matutinis de-  
 » narii octo in tertii denarii duo in missa denarii octo, in nonis denarii  
 » duo, in vesperis denarii sex, in completorio denarii duo, ita quod qui  
 » in matutinis utique finiat Inuitatorium et in missa cum cantatur chi-  
 » rieleson, Euangelium, agnus dei, et deo gratias, et in tertii . sexta et  
 » vesperis ante finem primi psalmi in choro non interfuerit nihil predictis  
 » horis percipiat, sed per scriptorem date absens describatur, et si quid  
 » de predictis communibus redditibus solutioni predicte superfuerit inter  
 » ressidentes prelatos et canonicos communiter diuidatur. Et intelligantur  
 » ressidentes Canonici qui in dicta Ecclesia interessendo diuinis officiis, et  
 » horis per anni circulum ressidentiam fecerint per sex menses que ressi-

» dentia per canonicos eiusdem Ecclesie semper incipiatur in calendis Augusti et finiatur in calendis Augusti proxime subsequentis.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus canonicus seu prelatus dicte ecclesie reputetur et teneatur presens nisi singulis predictis horis cum capa seu cotta induitus fuerit et in coro absque confabulatione presens fuerit et qui contrafecerit per scriptorem date notetur et scribatur pro absente nihil omnino de residentia comuni illius hore in qua defecerit recepturus.

» Item attendentes quod afflictio non est addenda afflito sed potius est eius miseriis pie successendum<sup>1</sup> statuerunt et ordinauerunt quod prelati et canonici infirmi et in decrepita etate constituti ac tali infirmitate detenti quod de claustro uel domo non exeant et potionati ac flebotomati dummodo tales diuinis officiis prius interesse consueuerint uel de manto capituli pro negotiis ecclesie pertractandis absentes [fuerint] pro presentibus habeantur ac si diuinis horis personaliter interessent quibus data ac distributiones quotidiane et alie obuentiones sicut aliis residentibus et presentibus ex integro assignantur ita quod priuilegium eorum qui fuerint minuti uel potionati ultra diem quartam uel quintam non pretendant.

» Item attendentes prefati canonici et capitulum quod ad decus hominem pariter et utilitatem ciuitatis Alexandrie et capituli huiusmodi cedit quod in ipso capitulo litterati et docti homines existant statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis ex canonicis prelatis dicte maioris ecclesie se ad aliquod studium ubi illud uigeat generale transferre et in sacra pagina aut in altero iurum studere uellet fructus redditus et prouentus canonicatus et prebende suorum integre per septenum tantum percipere ualeat quotidianis dumtaxat distributionibus exceptis in omnibus et per omnia perinde ac si personaliter in ipsa ecclesia residentiam faceret nec residentiam interim in eadem ecclesia a quocumque inuitus ualeat choartari.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod massarius siue sindicus prefati capituli singulis annis de mense octobris de omnibus per eum receptis et dispensatis seu distributis teneatur et debeat in capitulo uel cui capitulum comisserit plenam et integrum reddere et facere rationem et facta ratione claves in capitulo assignare et si quid de residuo supersit penes eum facta ratione illud residuum massario seu sindico prefati capituli reddere et consignare infra mensem teneatur quod si non fecerit et data et distributiones que per capitulo in choro uel extra comuniter uel singulariter diuidantur et donec satisfecerit sit penitus alienus nec interim ut canonicus in capitulo vocem habeat nec ad capitulo pro pertractandis seu disponendis ecclesie negotiis seu electionibus faciendis quomodolibet conuocetur quodque facta ratione predicta per precedentem

---

<sup>1</sup> succurrendum.

» massarium seu sindicu nouus massarius seu sindicus per capitulum in-  
 » stituatur qui in presentia ipsius capituli iuramentum prestet quod ea  
 » que spectant ad eius officium fideliter exercebit et quod requiret et  
 » exiget suo posse omnia facta et comunitates secundum dispositionem  
 » capituli ac tenorem suprascriptarum constitutionum distribuet et disponet  
 » et dispensabit et de his in fine anni de mense octobris debitam capitulo  
 » faciet rationem ut superius est expressum cuius salarium soldos centum  
 » non excedat.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod de cetero singulis annis de  
 » dicto mense octobris per capitulum eligatur unus ex canonicis scriptor,  
 » qui verisimiliter credatur magis frequentare diuinum officium, qui in  
 » horis canonici conscribat et denotet in libro omnes prelatos et cano-  
 » nicos, qui presentes ordinate et cum cotta, et cappa ut premittitur inter-  
 » fuerint diuinis horis, uel qui absentes fuerint sine legi optima et rationabili  
 » causa, qui iuramentum prestare teneatur dictum officium fideliter adim-  
 » ple, et de mense octobris et quotiescumque per capitulum requisitus  
 » fuerit de officio sibi commisso debita et integra reddere rationem cuius  
 » libro et scripture plena fides adhibeat et credatur quemadmodum pu-  
 » blico instrumento cuius salarium libras .4. non excedat.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod si aliquis canonicus uel pre-  
 » latus presens uel futurus recusauerit, uel renuerit recipere seu exercere  
 » massariatum uel officium aliud eiusdem Ecclesie et Capituli postquam  
 » per Capitulum ad huiusmodi massariatum uel officium ut premittitur  
 » fuerit assumptus quod donec massariatum aut officium huiusmodi exer-  
 » cuerit vocem Capituli non habeat, nec uti Canonicus ad Capitulum interim  
 » conuocetur nec admittatur, et nihilominus donec dictum massariatum  
 » aut officium susceperit, et exercere iurauerit a data oblationibus et  
 » quotidiani distributionibus sit penitus alienus.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus Canonicus, uel prelatus  
 » eiusdem Ecclesie possit uel debeat de cetero domum sue habitationis  
 » in qua unusquisque canonicus, uel prelatus eiusdem Ecclesie a predicta  
 » Ecclesia habere contigerit alicui laicali persone ad firmam seu gratia sui  
 » amoris concedere, nec mulierem aliquam in domo retinere, nisi de illis  
 » existat in quibus naturale fedus nihil criminis suspicari permittit.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus canonicus uel prelatus  
 » eiusdem Ecclesie presens uel futurus possit de cetero domum, uel rem  
 » mobilem, seu immobilem ad capitulum seu prebendas singularium ca-  
 » nonicorum uel prelatorum pertinentem in cuius possessione idem Capi-  
 » tulum uel singulares persone uel prelati existant sine auctoritate Capituli  
 » uel iudicis ordinarii inuadere et occultare uel usurpare presumat qui vero  
 » contrafecerit reus periurii habeatur et si in inuasione, et occupatione  
 » huiusmodi persistenter vocem in Capitulo non habeat nec ad Capitulum  
 » admittatur, et nihilominus a data et ab oblationibus communibus et  
 » distributionibus quotidiani, et Capituli tractatibus sit penitus alienus.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus Canonicus uel prelatus eiusdem Ecclesie presens, vel futurus possit uel debeat possessiones uel res immobiles uel ad suam prebendam pertinentes sine presentia et collaudatione Capituli uel expressa licentia ipsius Capituli aliquibus personis ecclesiasticis uel secularibus ultra nouem annorum spaciun inuestire concedere, uel locare, uel ad dictum seu ad firmum dare, et si contra factum fuerit, talis inuestitura locatio uel concessio nulla sit et irrita ipso iure, et nihilominus contrafaciens reus perjurii habeatur reseruata Capitulo eiusdem Ecclesie inuestitura consueta.

» Item attendentes quod singula officia singulas requirunt personas, et quod sacrista eiusdem Ecclesie qui curam ornamentorum librorum, et aliorum vasorum Ecclesiasticorum ceram et alia que circa officia sacristie necessaria, et opportuna sunt exercere habet in eadem Ecclesia sit plurimum necessarius: statuerunt et ordinauerunt, quod in eadem Ecclesia perpetuo sit sacrista in ministerio Capituli uel senioris partis ipsius, instituendus, qui sit scientia vita et moribus commendabilis, et qui apud dictam Ecclesiam personaliter ressidentiam faciat, et in presentia Capituli proprio iuramento firmare teneatur, quod ea que per ipsum capitulum exercenda imponentur fideliter et sine fraude exercebit, quique ultra redditus sibi de oblationibus chori medium percipiat portionem.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod Capellani dicte maioris Ecclesie qui sunt et qui pro tempore fuerint in suis altaribus congruis temporibus celebrazione maioris misse dumtaxat celebritate non obstante, quodque ad fidelitatem et obedientiam Capitulo exhibendam teneantur, qui una cum custodibus unam partem de oblationibus seu distributionibus percipient inter ipsas, et custodes qui presentes fuerint communiter diuidendam portione seu parte eorum, qui absentes essent in Capitulo remanente.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod nullus de cetero proprio motu Capituli sub expectatione prebende per Capitulum possit nec valeat recipi, nec in vacantibus canonicatis et prebendis eligi seu institui neque, et alia que plenitudinem iuris canonici dessignant tractare uel admitti nisi in ipsa receptione sub expectatione prebende facta sub electione institutione quavis auctoritate in ipsis uacantibus prebendis faciendis corporali in Capitulo prestant iuramentum de supradictis omnibus statutis et constitutionibus et aliis laudabilibus eiusdem Ecclesie inuiolabiliter obseruandis et donec ipsum iuramentum prestiterit nihil omnino de fructibus redditibus et prouentibus prebende ad quam auctoritate apostolica uel legatorum eius assumptus esset, percipiat seu percipere possit per se, uel submissam personam, sed idem fructus redditus et prouentus donec dictum iuramentum prestiterit, in Capitulum perueniant per massarium seu sindicu[m] Capituli colligendi et intercanonicos residentes qui per anni circulum residentiam sex mensium compleuerint communiter diuidendi.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet canonicus inter sex menses teneatur facere describi totam prebendam suam in cartulario ad

» hoc specialiter deputato per capitulum et deinde de biennio in biennium  
 » in festo omnium sanctorum et qui non fecerit soluat massario capituli  
 » soldos xx<sup>ii</sup> diuidendos inter residentes ipso sic soluente ab hac diuisione  
 » penitus excluso.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod unusquisque canonicus a  
 » tempore receptionis teneatur facere unum sufficiens prandium capitulo  
 » alioquin ipsum dampnum de bonis suis retineant quo se satisfaciant pro  
 » uno optimo prandio.

» Item statuerunt et ordinauerunt quod dicte constituciones et statuta  
 » quater in Anno in Natuitate domini in resurrectione eiusdem in festo  
 » sancti Iohannis Baptiste et in Natuitate Beate Marie Virginis in pleno  
 » capitulo legantur.

» Que quidem capitula salutaria statuta et ordinamenta edita et pro-  
 » mulgata fuerunt per suprascriptum honorabile capitulum Mayoris Ecclesie  
 » Alexandrine cum consensu et auctoritate domini Galiotti Sachi in pleno  
 » capitulo ipsius ecclesie ad hoc vocato et congregato. In quo quidem  
 » capitulo interfuerunt venerabiles et circumspecti viri . dominus . presbiter  
 » franciscus merlanus Archipresbiter Raynerius de viberis prepositus pau-  
 » linus de ferris cantor Iouanes de Collis literarum apostolicarum scriptor  
 » Stefanus de lanzauegiis Antonius de squarzaficis Xristofforus de scaca-  
 » uellis Bartolomeus de calcamugiis de ferrufinis canonici prebendati prefate  
 » Mayoris ecclesie cum plures presentes non essent qui omnia statuta et  
 » ordinamenta iurauerunt sacrosanctis tactis scripturis perpetuo inuiola-  
 » biliter obseruare et nunquam in toto uel in parte contra ea venire sine  
 » speciali licentia ipsius capituli precipientes de predictis omnibus per me  
 » Acorsinum Lanzauegiam notarium publicum et curie episcopalnis canzel-  
 » larium fieri publicum instrumentum presentibus ibidem prouidis uiris  
 » Domino castelino collo condam domini Iacobi . Bernaboue collo con-  
 » dam Antonii Brandacho blaua condam Io. testibus ad infrascripta  
 » omnia singula vocatis et specialiter rogatis. Acta sunt hec in sacristia  
 » ecclesie Mayoris Alexandrie congregatis dominis prelatis et canonicis  
 » capitulariter sono campanelle ut moris est sub anno natuitatis Domini  
 » M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup>XLVIII<sup>o</sup> <sup>(1)</sup> Indictione XI<sup>a</sup> die XVIII mensis nouembris.

» Notarius Acorsinus Lanzauegia

» [Infra]scripte sunt Dignitates Canonici	
» Capelani ecclesie Mayoris Alexandrie	
» . . . . per supra et infra scriptos debet	
» . . . . uel facere celebrare primo	
» Archidiaconus	quatuor
» Archipresbiter	quatuor
» Prepositus	quatuor
» Cantor	quatuor

<sup>1</sup> L'indizione reca l'anno 1448, e difatto sotto tale data venne catalogato il documento. Però la scrittura sembra chiaramente indicare — forse per sbaglio — il 1449.

---

» Decanus	omni die
» Primicerius	
» Canonici comunes	tres
» Capella magna	omni die
» Capella sancti perpetui	omni die
» Capella sancte crucis	tres
» Capella consolate	omni die
» Capella S. Iuliani	quinque
» Capella S. Xristofori	quatuor
» S. Catarine	omni die
» S. Marie	tres
» S. Andree	tres
» S. Bartolamei	tres
» Annunciationis	tres
» S. tibaldi	quatuor
» S. Silvestri	omni die
» illorum de pectenariis	duas
» S. Bernardini	duas
» S. Michaelis	
» Capela baldassaris de petra ».	

In fondo al registro si trova questa annotazione: « Memoria de li fictabilli » de la Capella de sancta Chaterina in Sancta maria de Bergoglo sono Io. maria thoma et dominicho de Coltortis de quargnento filii condam zanini et de instrumento locacionis facto per d. Io. guillelmum fuit rogatus Iacobinus prostusatus de Anno 1523 die 20 decembris in domo domini Io. Iacobi presentibus dominibus gato de viariso petrino graso condam domini Iohannis presbitero Xristoforo mantello testibus ».

Il documento è composto di quattro fogli, con tredici facciate di scrittura intorno agli statuti. — La scrittura appartiene al secolo XV: difatto si nomina il Decanato ed il Primiceriato nella facciata antipenultima: dignità erette sul fine del XV secolo. Perciò è una copia sincrona alla compilazione degli stessi statuti.

Avvertiamo che esistono altri statuti più antichi, cioè del 1324, in una magnifica pergamena.

(Archivio della Cattedrale, *Monumenta capitularia*, T. I).